



Diss.

Not

#

- 1) Petri: *Natura de religione Ciceronis*  
 2) *Ideas de Scholasticis institutione lege ac sapientia ad priuatum cuiusque et publicam utilitatem amperende*  
 3) *Ideas de Iesu Christi in amplificanda trinitate. S. lucis fidei prouidentia*  
 4) *Ideas de catechetico velut in ecclesiis doceundi genere.*  
 5) *Ideas de singulariis circa fidibus pietatis causa, ex iustitia genio naturae*  
 6) *Acknowledgements de discrimine inter preparacionem evangelicam & euangelie lectionis fraktionem.*  
 7) *Ideas de naturali theoria. Ciceronis edit. II*  
 8) *Ideas de natura: holo: Ciceronis edit. III. IV. VI.*  
 9) *Vagaries de via factiorum, sicut adhuc quorumq[ue] nondum manifestata.*  
 10) *Ideas de misericordia ac praefante fidei exposito a M. Attilio Regulo edito. A. de Fazio libra exstantib[us]*  
 11) *Ideas de sacris nuntiis ex exceptione.*  
 12) *Ideas de hospitiis vestigii prius quae eximis invicendo*  
 13) *Kuriositas de grammaticorum latitudinem fide non semper bona, ad l. B. Lapparini.*  
 14) *Nakemacher de syntetismo Philosophiae, et Theologie realitatis. Difensio: phil.*  
 15) *Westerlaerius de ratio fidei. Difensio: phil.*  
 16) *Christius de magisterio viterbiensis in focali.*  
 17) *Poete de matre orgeliantre*  
 18) *Roman: Tulli de arguimento theologicum*  
 19) *Schlemmer de ontologo in Cicerone*  
 20) *Coppi: omnia in ratione, plausibili, fructuosa*  
 21) *Haderius de meritis Reichen Ricimeri in historiam et actis: hunc Carol:*  
 22) *Wickermann de defensione nocturni Legionis probatae ad officium II. 14*  
 23) *Uedelius oratio in inauguratione Rectoris Nahrmeckeri*  
 24) *Chilesius de tortula bibliothecae: Augustini in episcopo hipponeus.*  
 25) *Contra dicta de actorum oib[us] q[ui] K. diebus suis origine*  
 26) *Adel de dicitur Thracium.*  
 27) *Ennius de privata veterum Romanorum disciplina*  
 28) *Hocatius et de insectis*  
 29) *Christius de mortis adolescentia inter p[ro]pria litterarum regem et*  
 30) *Evidens carmen de mortu[m] antiquorum praefantia*  
 31) *Miles de fatis suis multis*  
 32) *Wernsdorff Oratio: die nativitate Friderici V. Danicie regis*  
 33) *Deylingue Programma curris in promotio seu triu[m] Theod. Licenti*  
 34) *Walterius in nobilium Caroli P[ro]p[ter]a et Leidens, in qua curia decidebit episcopio Melanchthonis*  
 35) *Nicolaus de Iesu Christi in amplificanda trinitate. S. lucis prouidentia*  
 36) *Waldeius de Philosophia Gorense: h[ab]itum p[ro]fessi*  
 37) *von der Hude p[ro]fessor: omn[is] discipulis: Baptista[rum] fratres Offici.*  
 38) *Stahmacher de loquacitate: in eam obitum necesse est ut de reperiatur*  
 39) *Idea de columnis rescripta C. D[icitu]r. l. 1. s. 1. c. 1. 2. 3.*  
 40) *Capparis de interprete descriptu[m] grammatico*  
 41) *Weindorfius de fontibus historiarum et max in libr. Maxicoll.*  
 42) *Nakemacher de litterarum romanae*  
 43) *Capparis de sacris riteis et de apostolicae carmine.*  
 44) *Spiegel de vita animalium naturale.*  
 45) *Spiegel de interpretationibus philosophicis*  
 46) *Gratianus de iuris p[ro]fessionis: scripturarum locis: iuris formando*  
 47) *Capparis in interpretatio loci Ad: XIII. 21 - 28. f[ac]tum*  
 48) *Et Ideas proposito de libra spiritu si erubetale ac Ep[ist]olas. V. 18. 19*  
 49) *Hechtius: scripta seruare fit ut barbare scriptorium*  
 50) *Vogel de dialecto poetica literariorum: carmine V. 2. hissed.*  
 51) *Productus de Nudomatis: qualitatibus genitrix macta ad finem. Tunc. II. 23, ad viros clavigi. V. 2. genitrix. ad. Carl. Lippesdantz*  
 52) *Fridenici de conuictu boni in locum statu: laqueus perpetuus est in omni scriptur. ad viros III clavigi ex aed[em] deponendis*

*Exhortatione ad  
Corde de bonis angelis et feliciter progre  
et misericordia dictam Hebreorum Epistola v. LX. tractor nunc ipsorum doceo.*

*Lectio quae exponuntur fratres*

*47 - Act. xiii. 31 - 48.*

*48 - Eph. v. 18 - 19.*

*51 - 2 Tim. ii. 23.*

PROLVSIO  
DE  
MIRABILI ET PRAESTANTE FIDEI  
EXEMPLO A M. ATILIO  
REGVLO EDITO

---

QVA

EXORNATOES FAVTORESQUE REI  
SCHOLASTICAE

AD

O R A T I O N E S

D. XXV SEPTEMBR. HORA X IN SCHOLA SENATORIA

HABENDAS

OBSERVANTISSIME INVITAT

M. IOANNES FRANCISCVS WAGNER  
RECTOR SCHOLAE OFFIDANAЕ HELMSTADIENSIS, CVSTOS  
BIBLIOTHECAE ACADEMICAE, POETA LAVR. CAES.  
ET DVC. TEVT. SOCIET. QVAE HELMSTADII  
FLORET, EPHORVS.

---

HELMSTADII  
STANNO DRIMBORNIANO.



§. I.

EGO VERO quum spartam Rectoris Scholæ huius  
gratioso mihi nuperrime traditam adgressus iterum  
iterumque fuerim recordatus iuris iurandi, quo SE-  
RENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO NOSTRO,  
CAROLO, DVCI BRVNNSVICENSIVM AC LV-  
NEBVRGENSIVM REGNANTI, ac INCLVTO OPPIDI  
HELMSTADIENSIS MAGISTRATVI sancte promiserim,  
me amplum hoc et graue munus pie gessurum: incidi forte  
CICERONIS de *Officiis* libros explicans in illustre illud  
atque omnino laudabile fidei exemplum, quo edito M.  
ATILIVS REGVLVS splendidissimum olim nomen et  
decus sibi conciliauit. a) Primae igitur huic meae prolu-  
sioni scholafticae nihil putauit conuenientius, atque vt  
contineretur eius rei explicatione, qua animum meum  
egregie confirmatum senserim, et quae omnium, iuuen-  
tutis maxime, tam admiratione quam imitatione dignum  
fit. Ita vero eam pertractabo, vt primum ipsa REGVL<sup>I</sup>  
gesta referam; vt dein, quae inuicem de illis disputationarunt  
olim, explicem; his tandem verae sententiae exploratio-  
nem et probationem adiungam.

§. II.

SCILICET CICERO L. III. de *Officiis* multus in  
eo est, vt, omnem utilitatem honestate dirigendam esse,  
A 2 et

a) V. CICERO de *Officiis*, L. III. c. XXVI. sqq.

et exemplis et argumentis doceat. Dimissis fabulis et externis, quorum nonnulla attulerat: ad res factas romanasque peruenit. Primum igitur e REGVLI nostri exemplo tradit, in quo viri boni dignitas posita sit. Nam, quum Populus Romanus primum cum Poenis gereret bellum, hi XANTIPPI Lacedaemonii prudentia summaque rerum bellicarum peritia superiores in Africa discesserant; b) M. autem ATILIVS REGVLS, c) consul iterum, captus erat. Missus is postea est iuratus ad Senatum, vt, nisi hic redderet Poenis captiuos quosdam nobiles, rediret ipse Carthaginem. Poeni enim nulli dubitarunt, fore, vt de captiuis reddendis non maximo tantum opere suadeat, sed rem etiam impetrat REGVLS, cui Romae vxor, liberi et plurimi insuper senatores, inque his consul c) ATILIVS REGVLS, necessitudine iuncti essent; quique non ignoraret, ad crudelissimum hostem ac ad exquisitissima supplicia nobilibus Poenis Romae retentis se profici sci.

## §. III.

REGVLS, maiorum instituta maxime colens, vrbem intrare recusauit; sibi enim, qui ab hostibus missus et

b) Hoc Carthaginem suum cum Romanis, duce Xantippo, Lacedaemonio, commissum proelium describunt POLYBIVS <sup>1500</sup> ζέηε ε (p. m. 14. fqq. ex Edit. Bas. A. 1549) ZONARAS Annalium l. VIII. (v. Tom. X. Corp. Byzant. p. 294. sq. ex Ed. Venet.) ex quibus apparet, Romanos non tam infidiis, vt

CICERO vult, quam Xantippi prudentia victos esse.  
c) de M. ATILIO REGVLO cf. LIVIVM L. VIII. 16. X,  
32. 35. 36. Epit. XVIII. L.  
XXII, 25. XXIII, 21. XXIV,  
II. 43. FLORVM L. II. 2. PO-  
LYBIVM c. l. et ZONA-  
RAM c. l.

et in potestate illorum esset, non nisi extra Romanam licere sua mandata exponere. Neque prius, re nunciata, Senatum sequutus fuit, quam Poenororum legati huius rei ipsi dederunt facultatem. Nullus autem sententiam dixit, qui, dum iureiurando hostium teneretur, non senator esset, neque consul. Civis partes egit et priuati hominis eius, cui rei publicae salus curae cordique est, et qui eam fouet sententiam, vt id, quod inutile cinitati sit, cuiquam ciui vtile esse neget.

## §. IV.

ETENIM utilitatis speciem, quam Romanam veniens vidit, falsam declarat. Erat ea haec; *manere in Patria, esse domi suae cum uxore, cum liberis, tenere consularis dignitatis gradum.* Haec autem omnino utilia esse, magnitudo animi et fortitudo negat, ac assertit potius, redendos non esse captiuos, neque se manendum in patria; illos enim esse adolescentes et bonos duces, se iam confestum aetate. Et valuit etiam eius auctoritas, retentique sunt captiuoi; ipse autem Carthaginem rediit: quia ius iurandum sibi seruandum putauit. Neque igitur eum caritas patriae retinuit, neque suorum, neque metus suppliciorum dolorumue, quibus se affectum iri certus erat. d)

## A 3

## §. V.

d) Lubet et iuuabit lectorem, omnem hanc rem Reguli gloriam ex ZONARA uberiori recensere. Hic autem l. c. (p. 297. sq.) *Oi Καρχηδονίοις δέ, ιπ-*

*quit, διενεργούσαντο τοῖς Ἀρματοῖς  
διά τε τὰ λόγια, καὶ τὸ πλῆθος τῶν  
αἰχμαλώτων, καὶ τοῖς προσβεστοῖς  
καὶ ἀντόν τοῖς Ἀργεῖον συνέπεμψαν,  
πᾶν δὲ ἀντεῖς οἰνοθήνες πιπορθαν-*

## §. V.

FACTVM hoc REGVLI non omnes suo tempore adprobarunt, vti ex CICERONIS disceptatione colligimus. Fastui illud magis quam animo vere excelsa magnoque attribuerunt. Iuuabit nos, ni fallor, argumenta huius sententiae curatius expendisse. Omnes hi autem, qui gloriae REGVLI detrahere cupiunt, id concilamant: *iustirandum Poenit paeſitum non fuſſe iſpiſ ſeruandum;* quod assertum variis niti volunt rationibus. Fuerunt enim,

ναι δια τὴν ἀρετὴν και τὸ ἀξιώμα  
τοῦ ἀνδρός. Κριτούσι τε αὐτὸν, ὃ  
μην ἐπικάθισεν. Και ὃς τὰ τε ἄλλα  
τα ὡς εἰς τὸν Καρχηδόνιον ἐπραγ-  
τε, και ἔτε τὴν γυναῖκα εἰς λόγους  
ἐδέχατο, οὗτος τὴν πόλιν εἰσῆλθε,  
και ταῦτα παλέυμενος, ἀλλὰ ἔπει  
τε τείχους τῆς Βουλής ἀδροεισέσ-  
(ως ἔπεις ἦν Κρηματίστης τὸν πολεμού-  
μον τοῖς πρόσθιοις) ἐποχθεῖς εἴς  
τὸ συνέδριον, εἶπεν· 'Ημεῖς, ὅ  
Πατέρες, πρὸς ὑμᾶς Καρχηδόνιοι  
ἔπειρψαν (ἐκεῖνοι γάρ με διέλασσον,  
ἔπει δοῦλος αὐτῶν νόμον πολέμου  
γεγένημαι) και ἀξιώσι μάλιστι μεγ  
και τὸν πόλεμον λειπούσι ἐπὶ συν-  
θήκους ταῖς δοκούσαις αὐμφοῖς. Εά  
δε μὴ τὴν αἰχμαλώτων ποιήσωμεν  
ἄλλαργα. Ταῦτα εἰπὼν, μετέη  
μετὰ τῶν πρόσθιων, ὡς ἂν παρ  
βαντούσι οἱ Ρωμαῖοι Βουλευεῖσθαι.  
Κελευόντων δὲ αὐτὸν τῷν 'Τητά-  
των συμμετεποχεῖν φύσι τῆς διαγνώ-  
μης, οὐ πρὶς ἐπειδή, πρὸ τοῦ ἐπι-  
τροπῆναι παρὰ τῶν Καρχηδόνιων.  
Ο δὲ τίς μεγ ἐπιώσσει. Επειδή

οἱ Βουλευταὶ εἰπτοι αὐτὸν γνωριζο  
κεῖτενον, εἶπεν. Εἰμι μὲν εἰς ἐξ  
ὑμῶν, ὁ Πατέρες, πάντα μηδεπά  
ἄλλο. Τοῦ μὲν γαρ σώμα μι Καρχηδόνιον, οὐ δὲ φυχὴ μι θυμετέρα  
ἔστι. Επειδοι μὲν γαρ διαν τὸν ήλλο-  
τριαται, ταῦτα δὲ ἔπεις δύναται  
μη ἔχει Ρωμαῖοι εἶναι ποιῆσαι,  
και ὡς μεν αἰχμαλώτος Καρχηδό-  
νιος προσήνου. Επειδή δὲ ἐν κα-  
πιλίαι, ἀλλ' ἐν προδυναμίαις ἐδυναχ-  
σα, και Ρωμαῖοι εἶμι, και Φρονῶ  
τὰ διατέρα, και οὐδὲ ἔπεις τρό-  
ποι λατετελεῖν διαν τοὺς πατέραλο-  
γάς νοικίω. - - - Και αἰκιθεῖς  
ὑπὸ Καρχηδόνιων, οὐς η Φύμι λέ-  
γει, ἀπέβανε. Ταῦτα γαρ βλέψαρα  
ἀντε πειτερόντες, και χρόνον τι-  
νον ἐν σκοτει μαθεῖσθαι, εἶπα εἰο  
σιένος τι σύμπτητον πέντε πεν-  
τακόδεν ἔχον ἐμβαλόντες αὐτὸν,  
και τριψαντες πρὸς τὸν ήλιον, οὐ-  
τος ὑπὸ κακοπαθείας και ἀγρυ-  
πνίας μη δυνάμενον τῆν αἰλαθῆναι  
διὰ τὴν κάντρα, διέθεισεν.

enim, qui nihil eiusmodi quid in iure iurando statuerunt, quod tantam utilitatem, quantum REGVLVS videbat, praeuerteret. Nam Iouem dixerunt neque irasci, neque nocere. Fuit haec non solum EPICVRI, e) sed teste CICERONE, communis fere Philosophorum omnium sententia f); splendida sane, ut nobis videtur, et veritatis speciem habens. *Ira* enim est ea mentis commotio et perturbatio, quae in homines modo, eosque minus sapientes cadit, vitamque eorum reddit angorum et sollicitudinum plenam: quare si neruosius haec differimus,

Deum

c) cf. LACTANTIVS in libro de *ira DEI* C. IV. vbi: *Quod sequitur, inquit, DE SCHOLIA EPICVRI est, sicut iram in Deo non esse, ita nec gratiam quidem. Nam quum putaret EPICVRVS, alienum esse a Deo, malum facere atque nocere, quod ex effectu iracundiac plerumque nascitur, admet ei etiam beneficentiam: quoniam videbat, consequens esse, ut si habeat iram Deus, habeat et gratiam.* Ex hoc, inquit, beatus et incorruptus est, quia nihil curat, neque habet ipsa negotium, neque alteri exhibet.

f) LACTANTIVS etiam l. c. C. II. Ita, inquit, omnes Philosophi de *ira* consentiunt. In primis vero STOICI quoque iram Deo inesse negabant eodem teste. Sic enim C. V. hu-

ius libri perorat: *Existimantur STOICI, et alii nonnulli, aliquanto melius de diuinitate sensisse, qui aiunt, gratiam in Deo esse, iram non esse. Favoreabilis ac popularis oratio, non cadere in Deum hanc animi pusillitatem, ut ab illo se laesum putet, qui laedi non potest: ut quieta illa et sancta maiestas concieter, perturbetur, insaniat: quod est terrena fragilitatis: iram enim commotionem mentis esse et perturbationem, quae sit a Deo aliena. Confer Scriptores, qui explicarunt STOICORUM dogmata, v. c. THOMASIVM de Stoica mundi exustione; IVSTI LIPSIUS manudictionem ad philos. Stoicam; SCIOPIII Element. philos. moralis Stoicæ; BVDEI Analect. Histor. Philos. Diff. 3. 4. 5. 6.*

## VIII

Deum non irasci dicendum erit. Quod si enim hominem quoque, qui modo sit sapiens & grauis, ira non deceat, (siquidem, quam in animum cuiusquam incidit, velut saeva tempesta rontos excitet fluctus, ut statum mentis immutet, ardescant oculi, os tremat, lingua titubet, dentes concrepent, alternis vultum maculet, nunc suffusus robur, nunc pallor albescens) quanto magis Deum non decet tamfoeda mutatio? g)

## §. VI.

NVM vero nocet cuiquam Numen illud summum? Sane qui nocet alteri, iniudit illius bona ac fortunas contra omne ius atque fas, et iniurias struit corpori vel vitae eius, nulla iniuria lacescit. Quis vero hunc sibi DEVUM fingeret, qui iniurias fieret in homines? Nam si inter homines laudabile videtur, prodesse potius, quam nocere: viuiscare, quam occidere: saluare, quam perdere, (nec immerito innocentia inter virtutes numeratur) et qui haec fecerit, diligitur, praeferitur, honoratur, benedicitis omnibus, votisque celebratur, denique ob merita & beneficia DEO simillimus iudicarur: quanto magis ipsum DEVUM par est diuinis perfectisque virtutibus praecellentem, atque ab omni terrena labe summotum, diuinis & coelestibus beneficiis omne genus hominum promereri? h) Damus igitur omnibus Philosophis, DEVUM nec irasci nec nocere; sed nondum est salua res ipsorum? Nam cui summa inest iustitia, is diligit bonos, malos autem affligit poenis prome-

g) vid. LACTANTIVS c. I. §. h) vid. LACTANTIVM I. c.  
V. p. m. 904. ex Ed. Walchii. C. V. pag. 905.

promeritis. i) Nulla Deo adscribenda est *Ira*, quae in incitatione animi ad nocendum ei, qui aut nocuit, aut nocere voluit; k) siue in cupiditate doloris reprendendi, l) confusat. *Ira*, quae deo competit, est decretum eius de coercendis puniendisque peccatis. Nec igitur bonum esse deum negabis, nec nocere homini affirmabis. Paster enim, qui liberorum vitia coeret castigationibus, num malus est? Num leges illae nobis nocent, quae peccantibus supplicia sanxerunt; et num iudices, qui scelere coniuctos poena capitum afficiunt, nocentes iure appellabis? Licet igitur nec irascatur deus, nec noceat: id tamen caue in dubium voces, Numen supremum esse ens iustissimum. Ex quibus intelligis, quanta iureiurando insit vis religionis.

### §. VII.

HACTENVS, quae Philosophi ad iuramenti efficaciam infringendam protulerunt, nos examinauimus ac dis-

- i) Acu' rem tetigit DURAN-  
DVS, qui Lib. 2. Dist. 8o. Q.  
2. deus dicitur iratus, ait,  
non secundum AFFECTVM  
sed EFFECTVM, in quantu-  
m præparat alicui poenam  
et infligit.
- k) vid. LACTANTIVS l. c.  
C. XVII.
- l) vid. ARISTOTELIS Rhei-  
toric. L. II. C. II. vbi: 'Εσω δη
- η ὁργὴ φρεστὸς μετὰ λόπης, τεινό-  
etas φαινομένος, διὸ φαινομένην  
ὅλην πλανῶν τῶν εἰς ἀντὸν, η εἰς με-  
τρῆ των μη προσηνότως. Εἰ δὲ  
τὴτ ἐσὶν η ὁργὴ, ανάγκη - - -  
πάντη ὁργὴ ἔκειται τινα ἡδονὴν, τὴν  
ἀπὸ τῆς θλίπεως τὴν τεμαχίουσθαι.  
Hoc autem sensu iram deo  
prædicare sumum omnia nefas esset.

discussimus; nunc, quibus CICERO ipse illis occurrerit, videndum. Hic vero, non intelligens, quid ex iustitia DEI fluat, concedit quidem Philosophis suis, nullum esse DEORVM iram; neque vero hac sententia adductus magnum illud vinculum, quod maiores ad adstringendam fidem arctissimum voluerant, tolli aut debilitari arbitratus fuit. Scilicet iuriandum non servare, turpe credidit, quia iniustum sit, et quia, qui iuriandum violat, is FIDEM in) violet, quam in Capitolio vicinam Iouis O. M. maiores esse voluissent. Sed, ni fallor, et vera et falsa in hoc arguento deprehendes. Verum est, iniuste et turpiter illum agere, qui iuriandum violat; quum autem, quia in DEOS nec Ira cadit, nec nocendi cupiditas, nec DEARVM sane sit, his affectibus perturbari: non perspicimus, qua ratione simul ille ita Fidem violet, ut vlla exinde fluat externa, quam vocant, obligatio, quae metu poenarum et vindictae continetur.

## §. VIII.

SED ad alia transeamus. Scilicet, quum Philosophus noster contenderet, quod turpiter REGVLVS egisset iuriandum violans, id primum ipsi obiectum iri censuit: *Minima de Malis*, dein, *nullam esse fidem, quae infidelis data sit*. Illud desumptum est ex doctrina, quae morum

et

m) de Dea FIDE cf. *l' Antiquité expliquée et représentée en figures par BERNH. de MONTFAVCON*, Tom. I. Chap. VIII. p. 350. sqq. et M. 10.

JAC. SCHWARZII *Antiqq. Monfauconii in Compendium redactas L. III. Cap. III. §. 2.*

et prudentiae praecepta tradit: hoc autem Ius naturae et gentium docere putant. Nimirum qui prius vrgebant, *Ionem ipsum, arbitrabantur, plus nocere non potuisse iureiu-rando violato,* quam nocuit sibi ipse illud servando REGVLAS; nec tantum mali turpitudinem illam habere, quam cruciatu*s, cui se Consul Romanius exposuit.* His respondit ita CICERO, vt afferat, id, quod aiunt, *Mi-nima de Malis,* non ita explicandum esse, ac si nobis lice-ret, turpiter potius, quam calamitose, agere: nullum enim esse malum turpitudine maius. Ut autem hanc eius argumen-tationem recte capiamus, tenendum est, turpem ipsi omniem esse eam actionem, qua leges naturae violari ipsa mens nostra nos conuincit. Ita enim prosequitur orationem suam: *quae (turpitudo) si in deformitate corporis habet aliquid offensionis, quanta illa depravatio et foeditas tur-pificati animi debet videri.* Minus igitur malum putauit cruciatum, ad quem REGVLVS profectus est, quam iuri-siurandi violationem, quia illo corpus quidem doloribus af-fectus, hac vero animus turpificatus fuisset. Atqui si nos, qui clariori rationis lumine illustrati et coelitus docti simus, rem eamdem curatus considerauerimus: gravioribus fane argumentis adducti cruciatum omnem minus malum cen-fere debebimus turpificato animo. Ergo nec iuriurandum violare nobis licet, vt dolores et supplicia praeuisa effu-giamus.

## §. IX.

AD POSTERIVS autem, quod scilicet infideli quae data sit fides, nulla esset, hunc in modum respondet CICERO

B 2

CERO, ut ab hoste iusto piratam distinguat, qui non sit ex perduellum numero definitus, sed hostis communis omnium. Cum illo fidem iuris iurandi saepe esse seruandam; cum hoc nec fidem debere nec iuriandum esse commune. Ut vero vim huius argumenti comprehendas, quinam fuit Populo Romano hostis iustus, intelligas necesse est. Audi igitur POMPONIVM, n) qui, hostis esse, dicit, qui nobis, aut quibus nos publice bellum decreuimus; itemque VLPIANVM, o) qui, hostes sunt, afferit, quibus bellum publice Populus Romanus decreuit, vel ipsi Populo Romano. Quando vero has hostium notiones suppeditant autores excitati, de ijs loquuntur, quos Populus Romanus iustos iudicauit. Nam, ceteri, pergit VLPIANVS, la-trunculi vel praedones appellantur. Nec, ut distincke comprehendas rem, negligenda puto, quibus CICERO p) definit hostem. Videlicet, ille hostis est, inquit, qui habet rem publicam, curiam, aerarium, consensum et concordiam civium et rationem aliquam, si res ita rulerit, pacis et foederis. Bellum igitur iustum Romanis illud est, quod decernitur publice et indicitur, et a summa potestate geritur. Hinc enim illa POMPEIVS: q)

Quibus arma SENATVS  
Non priuata dedit, vobis depositae pugnam.

Et :

Iamiam me praefide Roma

Suppli-

n) L. 118. D. de Verb. signif.

o) L. 24. D. de Captiv. et post-  
lima.

p) Phil. IV, 6.

q) apud LVCANVM Pharsal.  
L. II, v. 532. sqq.

Supplicium poenamque petat: neque enim ista vocari  
 Praelia iusta decet, patriae sed vindicis iram.  
 Nec magis hoc bellum est, quam cum Catilina paravit  
 Vrsuras in tecta faces, sociusque furoris  
 Lentulus exerteque manus vesana Cethegi.

Bellum adeo Populo Romano iustum fuit, non ex causa,  
 vnde ortum; tum nempe *Pium r)* fuit appellatum: sed ob  
 peculiares quosdam iuris effectus publice decreto et indictio  
 bello proprios. Eiusmodi hostibus saepe fidem datam esse  
 servandam, *CICERO*, ut iam diximus, contendit; nefas  
 enim esse ex gentium iure, conditiones pactionesque bel-  
 licas et hostiles perturbare periurio. Sed quaeris forsitan,  
 cur *SAEPE modo id iuribus hosti communibus repugnet?*  
 Huius rei argumentum, ni omnia me fallunt, hac *CI-  
 CERO* exposuit oratione: *Quod enim ita iuratum est, in-  
 quiens, ut mens conciperet fieri oportere, id seruandum est:  
 quod aliter, id si non feceris, nullum est periurium.* Sci-  
 licet si quid iusto hosti promiseris, hoc ipso iuramento illi  
 renunciaueris iuri, quod omnia in hostem tibi concedit; et  
 quamvis foedera bello nondum indictio et illato icta facul-  
 tatem habeas hosti iudicato non seruare; quae bellum ge-  
 rens promiseris ipsi sciens volensque, praestes necesse erit.

### §. X.

*NVM VERO nulla plane cum PRAEDONE iuris no-  
 bis est societas?* Equidem, est, dico cum *H. GROTIUS* s)  
 B 3 et

r) vid. b. D. FRANC. CAROL.  
 CONRADI diff. de *Facialibus*  
 et *Iure Faciali Populi Romani*

C. IV. §. II. p. 46. sq.  
 s) vid. H. GROTIUS I. B. et P.  
 L. II. C. XIII. §. XV.

et SAM. PVFFENDORFFIO t); non enim, quae CICERO docet, ad ea pacta sunt extendenda, quae, nulla vi compulsi, cum ipso inimus; sed ea saltim non oportet nos seruare, quae acta sunt ac extorta per vim iniustam ipsorum. Egregie igitur PVFFENDORFFIVS u) Etsi enim, inquit, moribus Gentium aliter tractatur hostis iniustus, aliter latro, et pirata; non ideo tamen is omnia iura hominis amisit, saltem ubi humano adbuc modo cum quibusdam agit. Nam quando mecum extra metum pacificatur, sane non ut latro, sed ut quisvis alius homo egit. COMMUNIS autem HOSTIS latro vocatur, quod non inflar aliorum hostium certo alicui bellum indicat, sed omnibus promiscue, qui in manus eius inciderint, hostilia intentent. Nec ego CICERONI assentior, qui nullam fraudem esse contendat, ne si id quidem non feceris, quod iuratus promiseris piratae. Hunc enim concedo per iuramentum meum ius nancisci nullum, quae promisi vi iniusta coactus, a memet exigendi; sed quum ita volo DEVVM esse iustum, testem omniscium et veri falsique vindicem, ut promissum praestem: hic sane mihi ad obligationem parviandam sufficit.

## §. XI.

SED UT, quam ob rem haec disputata fint, pressius dicamus, fuit omnino REGVLI officium, ut fidem, quam Carthaginensibus sciens volensque dedit, hand violet. Nec igitur est quidquam, quo ab hac fide Consul Romanos, nostra

t) vid. PVFFENDORFF I. N. u) vid. IDEM c. l.  
et G. L. III. C. VI. §. II.

nostra quidem sententia, liberari potuisset. Bonum enim ciuitatis saluti ciuiis singuli praferendum est; iusitandum nullum religionis vi destituitur; et quod hosti sponte et ex animi mei sententia iuro, id non facere perjurium est. Quum vero ex tota hac laude, quam virtute et fide sua REGVLVS promeruit, vnum illud admiratione dignum, quod captiuos retinendos censuerit, et quod apud eum vtilitatis species falsa ab honestatis auuthoritate sit superata: cuius quidem rei gratia apud optimos in eo fuit honore, vt HORATIVS et singulari carmine merita eius posteris recenseret, x) et, quorum laudes Diis celebratis caneret, deliberans, nec huncce Consulem fileret:

REGVLVM (inquiens)

Gratus insigni referam camoena. y)

Quanto magis omnem vtilitatis speciem pietate et sinceritate animi vincere ii tenentur, qui sublimi illa ab ipso Deo profecta sapientia illuminati iurant. Cauemus igitur, ne aduersus nos aliquando profani homines testentur, qui nulum vinculum ad adstringendam fidem iureiurando arctius esse voluerunt.

Declamabant autem hac vice iuuenes sequentes quatuor :

10. CHRISTOPHORVS KÜHNE dicet Graece nonnulla de Apostolorum dicendi genere.

10.

x) cf. Ode V, L. III, Carminum. y) cf. Ode XII, L. I, Carminum.

XVI

10. GEORGIVS ENGEL SCHMIDT, potiora, quae litterarum cultori in amicis eligendis obseruanda, oratione latina exhibebit.

10. HEINR. BVSSE demonstrabit lingua vernacula, quae et quanta commoda in litterarum elegantiorum studiosos redundant, si Mythologia intelligenter ipsis traditur.

FRANCISCVS IVLIVS IOANNES SIEVERS de eo, vt bene sit liberis ob parentum merita, recitatib lati-  
nam orationem.

Itaque PATRONOS AC FAVTORES LITTERARVM plurimum colendos quam obseruantissime rogito, vt his iuuenibus a. d. XXV. Sept. hor. X. declamantibus frequenti concione adesse velint. Scrib. d. XXI. Sept. A. R. S.

clo CCLIX.



00 A 6427

ULB Halle  
002 927 292

3



R



B.I.G.



PROLVSIO

DE

MIRABILI ET PRAESTANTE FIDEI  
EXEMPLLO A M. ATILIO  
REGVLO EDITO

QVA

EXORNATORES FAVTORESQUE REI  
SCHOLASTICAE

AD

O R A T I O N E S

D. XXV SEPTEMBR. HORA X IN SCHOLA SENATORIA

HABENDAS

OBSERVANTISSIME INVITAT

M. IOANNES FRANCISCVS WAGNER  
RECTOR SCHOLAE OPPIDANAЕ HELMSTADIENSIS, CVSTOS  
BIBLIOTHECAE ACADEMICAE, POETA LAVR. CAES.  
ET DVC. TEVT. SOCIET. QVAE HELMSTADII  
FLORET, EPHORVS.

HELMSTADII  
STANNO DRIMBORNIANO.